Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Additiones ad Caput XII.

1) Meinhardus II Comes Tirolis patrem habuit Meinhardum I Comitem Tirolis, seu Goritiæ III. In Repertorio Austriaco p. II f. 735, teste Ill. Coronino Tent. genealog. Com. Gor. c. 3, memorantur tabulæ concordiæ initæ inter Patriarcham Aquilejæ Gregorium, et Comitem Meinhardum de Goritia: quibus idem Meinhardus II abdicat jus ad quasdam oppignorationes, et ad illa feuda Aquilejensia, quæ Pater ipsius Comes Meinhardus obtinuit pretio 4000 marcarum Aquilejensium etc. anno 1260. Igitur Meinhardus hoc anno 1260 vivens, fuit Meinhardi filius. In eodem Repertorio p. III, f. 355, Comes Meinhardus et Comes Albertus, de Goerz, et Tyrol, fratres, liberos pronunciant Comites de Ortenburg, ab initis pactis nuptialibus inter Patrem suum Comitem Meinhardum de Goerz, et Comitem Hermannum de Ortenburg: quæ pacta erant inter Comitem Albertum, et Comitissam Syniam, memorati Comitis Hermanni filiam, quia nuptia propter cognationem celebrari non poterant. Datum Tyrol anno 1267. Vide etiam, quæ paulo post dicentur Add. 4. Consentiunt Hundius, Burglehner, Brandisius, et Gajus noster Chron. lat. l. 1. c. 1, ubi: Sciendum itaque, Patrem Meinhardi Fundatoris nostri similiter vocatum esse Meinhardum, cuius tamen apud scriptores rarior fit mentio, quique a recentioribus vocatur Meinhardus primus, vel senior, uti ipsius filius Fundator noster, Meinhardus secundus, seu junior. Corrigendi sunt igitur, qui Meinhardi fundatoris Stamsensis patrem Albertum nominat, Anonymus Leobiensis ad an. 1272; Kreupeckius Chron. Austr.; et descriptor Tabulæ Stamsensis seu Chronici Stamsensis apud Kuron. Rerum Script. rer. Austr. t. II. ~~qu~~ vide supra ad c. XI Add. 22~~ter~~.

n. 1.

Mater Meinhardi II fuit Adelheidis, nata Comes Tirolis. Vide supra ad c. XI Add. 56*, 58, 81. In Repertorio Austriaco p. II, f. 703, Comitissa Adelheid de Tyrol, Comitis Meinhardi de Goritia vidua, vendit Patriarcho Aquilejæ Gregorio Belgradum, Luzenienum, et Budiz pro 3000 librarum Veronensium. Datum anno 1267. Indictione IV. XV. Augusti in Castro Formiano. Gajus Chron. lat. l. 1. c. 1: Vxor Domini Meinhardi senioris, adeoque mater Fundatoris nostri erat Domina Adelheid filia Alberti prædicti, nempe Comitis Tirolensis. Eadem sentiunt Burglehner, Hundius, ~~Leguil~~ utrique Brandisius, aliique. Sed errant recentiores nonnulli, qui Adelheidem antea Henrico Romanorum Regi, Friderici II Imp. filio nuptam fuisse asserunt putant. Error manifeste refellitur ex

n. 2.

140.

XII.